



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermannii Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

Conring, Hermann

Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680

Ad Rationem V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9585

sensus Papalis circa pacem, ea dñe jam supra satis est dictum conclus. xiii, xiv, & xv. Sed & ex iis quæ modo allata sunt liquet, pacem versari circa ea, quorum dispositio competit Cæsari & Principibus. Ad illa autem ratihabitione quadam Pontificis non esse opus, concedunt omnes.

RESPONSIO AD RATIONEM

V.

*Pacem ejusmodi non repugnare officio & obligationi Cæsar is Statuumque Catholicorum,
ut nec Episcoporum.*

Ipse, disputator, agens de defensione Ecclesiæ, ad quam Cæsar & Status Catholicæ sunt astricti, adhibet illud *pro virili*. Formula Juramenti Cæsarei quam allegat, habet: *quantum diuino fultus adjutorio poterit, secundum scire & posse*. Juramentum Episcopale habet: *hereticos, & schismaticos & rebelles pro posse persequar & impugnabo*. Apud omnes porro constat, neminem obligari ad impossibilia. Huic juramento autem adversa concessionem Pacis perpetuæ, quod ponit auctor ille, nego, juxta hypothesin xiii & xiv. Totum itaque illud nitens falso principio sponte sua cadit, nec ulteriore eget confutatione. Addemus tantum verba R. P. Erbermanni *Irenici Cath. c. XII. n. 7*, ubi de juramento Episcoporum agit. *Tolerationi Politicae mini-*

PROTESTANTIBUS DANDA.

minime obstat voluntas, buccinatores hereticos gla-
dio Spiritus pro posse persequendi & impugnandi.

Quæ sub finem odiose adducuntur, illa eadem
sunt cum iis quæ allata sunt ratione I & II. ideoque
itidem superfluum fuerit illa denuo refellere.

RESPONSIO AD RATIONEM

VI.

*Pacem ejusmodi non esse frustratoriam, multo
minus bello periculosiorem.*

Quibus conatur probare, pacem frustratori-
am seu fallacem esse, illa, ipso fatente, conti-
nentur in quinque modò allatis Rationibus.
Itaque qvum illæ sint confutaræ, jam tum hoc ar-
gumentum etiam est confutatum.

Bello periculosiorem esse pacem, probat unica
ratione, nimirum *Hereticorum perfidia*. Verum
concesso antecedente, negatur tamen consequen-
tia. Etenim pax cum hominibus subdolis & fra-
du lentis inita nunquam periculi quidem est expres,
utpote quum tuta non sit, non tamen aperto & fe-
rali aliquo bello est periculosior: sunt enim in illa
pace saltim aliquæ malorum induciæ, quales fer-
vente bello nullæ sunt. Deinde ambiguitas est in
voce *perfidiæ*. Perfidi enim dicuntur I, qui nullam
fidem servant persuasi quidvis sibi licere. II, qui in
fide servanda sæpe sunt lubrici, si eos invitare vi-
deatur